



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

V. Indulgentia pro Ecclesiis Ordinis S. Francisci Minorum Conventualium in
die secunda Augusti ubique locorum erectis, vel erigendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

§. 10. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides in judicio, & extrâ illud ubique locorum adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 12. Septembris 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

V.

Indulgentia pro Ecclesiis Ordinis S. Francisci Minorum Conventualium in die secunda Augusti ubique locorum erectis, vel erigendis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Cælestium munerum thesauros, quorum dispensationem Nobis commisit Deus prudenti liberalitate libenter erogamus, cum id ad excitandam, savendamque fidelium religionem, atque devotionem, & promovendam animarum salutem profuturum speramus.

§. 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Laurentii Brancati à Lauræa Fratris expressè professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, in sacra Theologia Magistri, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus Christi Fidelibus verè penitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum dicti Ordinis tam hætenus erectis, quam in posterum quocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus die secunda Augusti, à primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi, annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Perpetuis futuris temporibus.

§. 2. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 3. Octobris 1670. Pontificatus Nostri Anno Primo.

VI.

Extensio Indulgentiarum in die Sancti Petri de Alcantara etiam in Ecclesiis Tertii Ordinis Sancti Francisci erectis, & erigendis.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentia à Clemente Papa IX. Prædecessore concessa prius. Extensio ad tertium Ordinis.

Aliàs sel. rec. Clemens Papa IX. Prædecessor Noster omnibus, & singulis utriusque sexus Christi fidelibus, verè penitentibus, & confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum Minorum de Obser-

vantia, ac Reformatorem, Discalceatorum, & Recollectorum, necnon Conventualium, & Capuccinorum nuncupatorum, ac Monialium Ordinis Sancti Francisci, tam eatenus erectis, quam in posterum quocumque erigendis, & ubicumque locorum existentibus, die festo Sancti Petri de Alcantara, nempe die 19. mensis Octobris, à primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi, annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, & aliàs prout in ipsius Clementis Litteris desuper in simili forma Brevis die 2. Octobris 1669. expeditis, quas perpetuis futuris temporibus valere voluit, uberius continetur.

§. 1. Nunc autem Nos ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem, cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, necnon supplicationibus dilecti filii Antonii Cotoni Procuratoris Generalis Tertii Ordinis Sancti Francisci nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; plenariam omnium peccatorum indulgentiam, & remissionem à memorato Clemente Prædecessore concessam, ut præfertur, ad omnes, & singulas Ecclesias Tertii Ordinis hujusmodi, tam hætenus erectas, quam in posterum erigendas, & ubicumque locorum existentes, itaut omnes & singuli utriusque sexus Christifideles, qui verè & similiter penitentes, & confessi, ac sacra Communione refecti, aliquam ex Ecclesiis hujusmodi eodem die festo à primis Vesperis usque ad occasum Solis festi hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, ibique, ut præfertur, oraverint, eandem plenariam indulgentiam, & remissionem consequantur, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò extendimus, & ampliamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides in judicio, & extrâ illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. Octobris 1670. Pontificatus Nostri anno primo.

Indulgentia in Ecclesiis Clericorum Regularium Theatinorum in die festo Sancti Cajetani ejusdem Congregationis Fundatoris.

VII.

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Redemptoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quæ Nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus, & cælestis beatitudinis confortes effecit, vices licet immeriti gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum Nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam, & fovendam erga eosdem Beatos cæli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1.